



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**


### **Hymni Ecclesiastici Novo Cultu Adornati**

**Clairé, Martin**

**Parisiis, 1676**

Summa Novae Hujus Hymnorum Institutionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12077**



S U M M A  
N O V Æ H U J U S  
H Y M N O R U M  
I N S T I T U T I O N I S .

**H**YMNOS novos exhibemus; hos tamen ab antiquis nec religionis cultu alienos, nec sententiâ dissidentes. Non est enim hujus instituti, Hymnos emendare, quos jam recepit pridem Ecclesia, & longo usu comprobavit, quod temeritatis esset; sed ex iisdem novum aliquod formare & efficere Ecclesiastici carminis genus, quod in eundem sensum adductum, ad cantum etiam sic aptum, jucundumque sit, ut nihilo tamen pietati minus congruum reperiat.

Opus in speciem leve, at certè labore gravissimum, & ea re singulare, quod severis & non paucis adstrictum sit legibus, quas simul omnes scribendo complecti, nemo hætenus Poëtarum attentavit.

1. Equidem de hac sacra Poësi exterminantur primùm cùm voces barbaræ omnes, tum præsertim illæ quæ poëticas fabulas sapiunt.

2. Excluduntur deinde vocalium elisiones, & certæ, quæ dicuntur Poëtarum licentiæ, quibus pes unus carminis legitimus mutatur in alium, qui pluribus constet syllabis; at-

que inde auctus syllabarum numerus non parum canentibus incommodare solet.

3. Similiter ablegatur quidquid vel obscuritatem in sensu, vel ambiguitatem in verbis, vel in sono duritiem habet; id omne denique quod pias mentes offendere, vel ab divinis avocare meritò possit.

4. Ad hæc accedit accurata poëtici metri, juxtà ac latinæ puritatis observatio: utraque verò constanti, nec, opinor, inventæ rhythmorum concinnitati conjuncta.

En totum operis institutum, de cujus & ardua susceptione & absolute perdifficili, non consulimus lectoris festinantis præceps judicium; sed ad judicis considerati & eruditi sententiam provocamus,